

Estque copulatum, vel connexum.

Copulatum est, cujus conjunctio est copulativa: *Ut, Socrates fuit philosophus, & vir bonus.* Axioma copulatum.

Ejus canones sunt:

1 *Axiomatis copulati modi tres sunt: 1. ubi antecedens continet copulativam conjunctionem. 2. ubi consequens. 3. ubi & antecedens & consequens.*

Exemplum primi modi: Cæsar & Cato equitant. Secundi: Aristoteles ambulat & disputat. Tertii: Aristoteles & Plato ambulant & disputant. Ad modum secundum quidam referunt axioma distributivum, quòd in eo unumquodque prædicatorum verè subjecto adjungatur. Sed hoc falsò dicitur. Nam in axiome distributivo de distributo enunciat distributio universaliter: at partes distributionis non item: ut, Omnis enunciatio est vera vel falsa, est enunciatum verum. Falsum autem est, si dicas: Omnis enunciatio est vera: vel, Omnis enunciatio est falsa. Ahi tamen hoc referunt ad axioma disjunctum; quæ sententia nullo modo potest consistere, ut mox dicetur.

2 *Axioma copulatum verum est, quando omnes ejus partes veræ sunt; falsum, non solum si ambæ partes falsæ sint, sed vel ob unam saltem partem falsam:*

Ut, verum est: Deus & misericors est, & simul justus. At falsum: Lapis & corpus animatum est, & propriè crescit. Item: Quidam homo est verè pius, & Deo non placet.

3 *Oppositio copulativa æstimatur ex negatione additâ conjunctioni:*

Ut, Et fide justificamur, & operibus, est falsum copulatum, cui sic contradices: Non & fide justificamur, & operibus.

4 *Copulati axiomatis vim habent comparativa & relativa.*

Ut, Qualis rex, talis grex; Non minor est virtus quàm quærere parta tueri; Ubi Deus, ibi alumna ejus patientia.

Axioma connexum est, cujus conjunctio est connexiva.